

secundum mensuram donationis, non secundum plenitudinem potestatis; ergo.

R. ad Arg. N. A. Ad prob. quoad 1. R. Quamvis hæc testimonia nullum præberent fundamentum, nihil tamen obessent; tum quia Scriptura solidissimam basin alibi præbet, ut propositiones præambule ostendunt: tum quia his in locis potissimum de charismatibus, donis et gratis ad fidem et Ecclesiam nascentem plantandam, muniendam et ornandam concessis agitur; de gubernatione autem et Hierarchia Ecclesiastica non nisi generaliter insinuando potestates, quibus illa munera non tam ad regimen necessario, quam ad religionis exordium utiliter adjuncta fuerunt. Cæterum si *Apostolorum* nomine princeps eorum PETRUS, et sub *Apostolica* auctoritate potestas pastoralis suprema et ordinaria (significatione vaga scilicet ad unum revocata) præcipue intelligatur; et primatus mentio habebitur, et nihil insolens dicitur: cum Petri sedes Romana a plerisque Patribus et etiamnum *sedes Apostolica* per antonomasiam compellari consueverit.

Ad 2. R. Licet neque hic caput exprimeretur, non impediret tamen exprimi alibi. Præterea vero vel exprimi non debet, vel satis expressum est: 1<sup>um</sup> quidem, si de corpore invisibili agatur: 2<sup>um</sup>, si de visibili corpore sermo sit; cum corpus integrum non intelligatur, nisi intellecto simul capite.

Ad 3. R. Mensura donationis Christi, comparata cum potestate Christi, plenitudinem potestatis quidem excludit, non autem comparata cum potestate Episcoporum; cum quibus tamen compositus duntaxat Pontifex plenitudinem potestatis habere dicitur.

Inst. 1. Potestas Rom. Pontificis arctatur ad certas Provincias 1<sup>o</sup>. a canone 6. Conc. Nicæni, sive is legatur ex interpretatione communi in hunc modum: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romæ Episcopo parilis mos est*; sive audiatur Rufinus interpres L. 10. hist. c. 6. ita rem complectens: *Et ut apud Alexandriam et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti vel hic suburbicariarum sollicitudinem gerat*. 2<sup>o</sup>. Conc. Africanum prohibet, ne quis vocetur, *princeps sacerdotum* aut *summus sacerdos*: CYPR. in ep. ad Quintum negat dari *Episcopum Episcoporum*: GREGOR. L. 4. ep. 39, L. 6. ep. 30, L. 7. ep. 69. alibique repudiat *Episcopi universalis* nomen tanquam profanum: qui tamen tituli omnes Rom. Pontifici primatum tenenti deberentur.

R. quoad 1. N. Ass. quod manifeste falsum apparet, si canoni addatur principium, prout in Conc. Chalcedonensi Act. 16. recitatum est hujus tenoris: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Sed hoc omisso, Canonem hunc fuisse conditum, non ad limites Pontificiæ potestatis definiendos, sed ad Alexandrini jurisdictionem tuendam, certum est ex historia MELETHI Lycopolitani Episcopi, cujus in Ægypto Episcopos ordinare ausi occasione, Alexandrinus quærelas movit, Concilium antiquam consuetudinem servari jussit. Quæcumque ergo lectio assumatur, comparat ea duntaxat Alexandrinum cum Romano in eo in quo similes sunt et conveniunt: non congruunt autem in Primatu Ecclesiæ universæ; quem Alexandrino nemo unquam tribuit: adeoque nec in illo comparantur; nec primatus ad certas provincias arctatur.

An porro Episcopus Romanus, sive ut *Metropolita*, quo jure septuaginta

fere Episcopis Italiæ præsidet, sive ut *Patriarcha*, quo titulo toti Occidenti præficitur, hic in comparisonem adductus fuerit? decertant inter se Critici. Nostra quantumvis in præsens parum referat, videtur nobis de Metropolitico jure agi; tum quia secundum Epiphanium hæc. 68. et Theodoretum L. 1. hist. c. 9. Meletianis ordinationibus hoc unum jus violatum erat: tum quia Canonis contextus Metropolitæ diserte nominat: tum quia Nicæni ætate, ut ex subscriptionibus etiam in Conc. Chalcedonensi liquet, nullum adhuc Metropolitam Ægyptus habebat, qui Alexandrino ut Patriarchæ subesset. Quibus accedit, quod Italiæ Episcopatus potuerint a Rufino appellari Ecclesiæ suburbicariæ, quemadmodum in Imperii Notitia tempore Theodosii Jun. conscripta, decem Italiæ provinciæ etiam audierunt suburbicariæ, et Urbis Vicario alteri parebant: cum e contra suburbicarium nomen, ad totum Occidentem extensum, proprietatem significationis amitteret, nec usurpationis similitudinem facile reperiret.

Ad 2. R. Conc. Africanum *summi sacerdotis* aut *sacerdotum Principis* titulum, non Rom. Pontifici, sed Metropolitæ Africanis eripit, qui præter morem, contra jus, et ex fastu illum assumpserant: Cyprianus similiter inter Africanos *Episcopum Episcoporum* dari negat: qua negatione si velle care etiam Rom. Pontificem intendisset, non sane auctoritatem mereretur, utpote subiratus scribens in causa mala anabaptismi: Gregorius *Episcopi universalis* nomen, quatenus hoc unum solum faciebat Episcopum, exclusis ab hac dignitate reliquis, repudiabat tanquam injurium, ut ipse L. 6. ep. 30. ad Maurit. insinuat: *Nullus Romanorum Pontificum hoc singularitatis vocabulum assumpsit, ne, dum privatam aliquid datur uni, honore debito sacerdotes priventur universi*; et L. 7. ep. 30. ad Eulog. *si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum*: quatenus vero hoc nomen dicebat Episcopum universæ Ecclesiæ præsentem, illud S. Papa refutabat etiam, non quidem ob injustitiam et tituli inconvenientiam, sed tum propter humilitatis excessum, tum propter vocis ambiguitatem, indeque oriundam aliorum offensam; partim etiam ad superbiam Constantinopolitani Episcopi efficacius comprimendam.

Inst. 2. Episcopi omnes 1<sup>o</sup>. sunt *successores Apostolorum* ex Cypr. ep. 42, Hieron. ep. 54, Augustin. in Psal. 44: 2<sup>o</sup>. *successores Petri* ex Cypr. ep. 27, Hieron. ep. 1, Ephrem. Orat. de laud. Basilii: 3<sup>o</sup>. *Vicarii Christi* ex Cypr. ep. 55. et Bern. ep. 42. Ergo sunt æquales Pontifici, neque hic illis superior.

R. Pleraque in Art. præc. jam exhausta esse. Unde breviter

Ad 1. D. Episcopi sunt *successores Apostolorum* quoad Episcopatum et ordines, C. quoad apostolatam et potestatem, N. Paulus ipse constitutum a se Episcopum Titum intra limites in ep. ad Tit. 1. v. 5. designatos hæere voluit; et Conc. Nicænum Can. 15. transitum Episcopis ab una in aliam civitatem prohibuit.

Ad 2. D. Episcopi vocantur *successores Petri* directe, N. indirecte, *subd.* quoad Episcopatum et ordines. C. Primatum et potestatem, N. Episcopi sunt tantum *successores Apostolorum* in specie quasi, nullius autem singularis ac in individuo, multoque minus Petri; nisi quatenus huic tanquam ordinario succederetur a Romano Episcopo, ab hoc etiam tanquam Ecclesiæ capite et supremo Hierarcha auctoritatem caperent reliqui, sicque per indirectum Petro succederent.

Ad 3. D. Episcopi sunt vicarii Christi æquo jure cum Rom. Pontifice, N. minori, C. vices Christi etiam Sacerdotes alique ministri gerunt, sed in diversis muneribus, sibi quoad facultatem et jura dissimilibus.

Inst. 3. Primatus munera et facultates cuilibet Episcopo conveniunt; ergo. Prob. Ant. Episcopis convenit 1º. cura Ecclesiæ universæ: Ignatius enim in ep. ad Philadelph. eidem tribuit *ministerium communis Ecclesiæ*; Cypr. in epist. ad Quint. *gubernandæ Ecclesiæ libram tenendam* tradit; Venantius in Conc. Carthag. sub Cypriano *commendat sponsam Christi*; Alexander Patr. Alex. in ep. enycl. *asserit traditum corpus Ecclesiæ Catholicæ*; Hormisdas in ep. 77. *similem secum fidei curam commissam* scribit: 2º. Legum potestas; nam Greg. Naz. de S. Athanasio memorat, *leges eum rursus orbi terrarum præscribere*, ipse autem in ep. Synod. testatur, celebratum a se concilium *ex Italia, Arabia et Lybia*: 3º. Magistratum constitutio; quia Epiphanius Salaminae Episcopus in Monasterio Bethlehemitico Diocesis Hierosolymitanæ inconsulto Episcopo ordinavit Presbyterum et Diaconum; Hieronymus autem in ep. ad Evagrium: *si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis; ejusdem meriti est, ejusdem Sacerdotii*: ergo.

R. Ad Arg. N. A. Ad hujus prob. quoad 1. D. Episcopis convenit cura universæ Ecclesiæ ex charitatis munere, C. ex auctoritatis jure, N. subdistinctio, quam num. 160. ad prob. 3. addidimus, in allatis monumentis subin habere etiam locum potest; subin ista nequidem ad rem pertinent, sic enim *communis Ecclesia* in ep. Ignatii universalem haud significat, sed flatam tantum ex pluribus communitatibus, quibus unus Episcopus Philadelphiensis præsidebat: *libra gubernandæ Ecclesiæ* juxta Cypr. ab Episcopis tenenda est tantum pro parte cuilibet propria, et cum dependentia: Ecclesia quidem apud Venantium est *sponsa Episcopis commendata*, non tamen tota, nec singulis æquali jure et titulo: ALEXANDER in hoc ipso corpore pacem et concordiam, utique sub uno capite, servandam docet: HORMISDAS autem non de cura propria, sed vicaria, loquitur, quam Episcopo Constantinopolitano commiserat.

Ad 2. R. ATHAN. leges universo orbi præscripsit docendo, non imperando, ut ipse textus habet: *Leges etiam rursus orbi terrarum præscribit, atque omnium mentes ad se convertit, aliis epistolas mittens, alios accersens, non nullos etiam ultro accedentes erudiens*. Quod autem in Alexandrino Concilio adfuerint ex alieno Patriarchatu, id factum non est ATHANASII imperio, sed Episcoporum proprio fidei studio, scilicet a Legatis Pontificiis Lucifero Calaritano et Eusebio Vercellensi, tum in Oriente versantibus.

Ad 3. R. Factum EPIPHANII contigit, vel Joanne Hierosolymitano contra excipiente, et Epiphanio posthac exceptionis ignorantiam excusante; vel eodem monasterii exemptionem, ordinationis vero necessitatem causante in litteris ad Joannem datis. HERON. dictum prius vellicat, non auctoritatem Pontificis, sed consuetudinem Romanam Diaconorum Presbyteris se præferentium: posterius æqualitatem inter Episcopos facit ratione ordinis, non potestatis.

Inst. 4. Primatus munera Rom. Episcopo non congruunt, nam 1º. penes Rom. Pontificem non potest esse potestas in Canones: nec enim potest esse

universalis in omnes; alias Papa posset totum jus Canonicum destruere; quod Facultas Parisiensis merito damnavit tanquam erroneum: nec particularis et in certam canonum classem; alias posset abrogare eos qui jus positivum constituunt, quod tamen ipsi Pontifices respuunt. Universim enim antiquos canones sibi superiores ac inviolabiles pronuntiant COELESTINUS in ep. ad Epp. Illyrici, et Agapetus in ep. ad Cæsarium: speciatim autem Canones Conciliorum a se servandos Leo ep. 34. ad Marcian. Gregor. L. 1. ep. 24. et Gelas. ep. 43. ad Epp. Dardan. fatentur: item statuta Patrum a se infirmari non posse testatur Zosimus ep. 6. ad Aurel. et Joan. VIII. ep. ad Carol. Regem. 2º. Cause Præsulum vel ad Synodos vel ad Deum duntaxat pertinent: primum de Metropolitibus statuunt Concilia Aurelianensia III. et V. ac Arvernense; secundum, Cyprian. in ep. ad Quintum scribens, Episcopos a solo Deo judicandos.

R. quoad 1. D. Penes Rom. Pontificem non est potestas in canones de rebus fidei, jure naturali aut divino agentes, C. in canones jus positivum continentes, *subd.* non est potestas arbitraria, C. legitima, seu ex justa et rationabili causa, N. Rom. Pontificem non posse abrogare omnes canones, quia sub his et fidei dogmata et juris naturalis ac divini placita comprehenduntur, Catholicus quilibet fatetur; unde et primum membrum omnino conceditur. Eisdem etiam custodiam ac tutelam canonum, quorum scilicet tum ratione confirmationis auctores, tum ratione curæ Ecclesiasticæ promotores esse debent, Pontificibus maxime convenire, ipsi edito olim sub Pontificatus aditum sacramento jurabant, et nunc ultro omnes testantur. Potestatem relaxandi canones ab iisdem exerceri non debere, nisi ex causis canonicis, docet facultas ad Ecclesiæ ædificationem data et unanimis omnium juris interpretum assensus. Porro his presentibus illegitime, aut in mero jure positivo invalide, potestatem in leges Ecclesiasticas usurpari a Pontificibus negamus; nec id allata documenta evincunt.

Quod enim ad universim dicta attinet, COELESTINI hæc verba: *Dominentur nobis regule, non regulis dominemur, sed simus subjecti canonibus*, sunt placitum sanæ et sacræ Politicæ, a Pontifice datum Vicario Illyrici, quo justis potestatis limites figuntur, et ad inferiorem pertinentia comitatis ergo a superiori in communi persona proferuntur. AGAPETI enuntiatio de *auctoritate canonum inviolabiliter custodienda* concernit ausum Cæsarii bona Ecclesiæ dilapidare volentis; cui facultatem ad rem hanc per se illicitam dare, *divini judicii ultione prohibita* se Pontifex scribebat. Circa speciatim, et quidem de Conciliorum canonibus dicta, LEO ibidem addit *nec Chalcedonensibus Patribus fuisse licitum immutare, quod Nicæni statuerint*; scilicet in rebus juris divini, aut Ecclesiæ per se necessariis, non tamen in aliis ac diversis. Hinc et in ead. epistola Episcopi Antiocheni ordinationem, ab Anatolio contra Nicænos canones factam, noluit irritam: et in ep. ad Rusticum Narbon. ait: *Sicut quedam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli; ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oporteat temperare.*

De rebus ejusdem rationis loquitur GREGORIUS, similia L. 2. ep. 37. de *Prædecessorum statutis* enuntians, quorum sententiæ in diversa materia certe non erat obnoxius; immunitatem hujusmodi in exploso Chalcedonensi Canone famoso L. 6. ep. 31. satis contestatus. GELASIUS eod. loco canones a

Pontificia confirmatione auctoritatem capere docet, sic de Ephesina et Chalcedonensi synodo scribens: *Sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit, Ecclesia tota suscepit.* Unde dum dicit, *non aliquam magis exequi sedem, quam primam, oportere, quæ Ecclesiæ universalis assensus probavit,* non id faciendum ex subjectionis necessitate testatur, sed ex decencia tum cœpta perficiendi tum utilitatem promovendi.

Demum per *statuta Patrum* ZOSIMUS privilegium intelligit ab antecessoribus suis Arelatensi concessum, cui ob reverentiam a successore non erat derogandum, licet id faciendi potestas haud deesset; cum prædecessor successori generare præiudicium nequeat: *Majorum statuta* autem IOANNES VIII. pro humilitatis officio accipit, quod Ansbertum sedi Mediolanensi restituendum Rom. Pontifici exhibere oportebat, quodque remittere debitus Romanæ Ecclesiæ honor non sinebat.

*Ad. 2. N. Ass.* Metropolitanarum causas in prima etiam instantia a Rom. Pontificibus fuisse iudicandas, liquet ex postulatione Syn. Romanæ sup. exposita, et ab Impp. rescripto etiam in vim legis firmata. Hujus regulæ vigorem conservatum a Pontificibus, Leonis ep. 84. et Gregorii L. 7. ep. 8. aliaque facta docent. Hunc tamen juris ordinem in Gallia aliquando, ob prohibitum a Barbaris regnum occupantibus in Italiam iter, fuisse prætermissum exempla nonnulla testantur; quem ut temporaneo medio compensarent, illas forte leges Concilia nominata dederunt. Restituta tamen a Carolo Magno Gallicanæ Ecclesiæ libertate, reddita quoque est antiquorum canonum observantia, quæ in Anglia, Germania aliisque nationibus, Primatu proprio carentibus, plerumque obtinuit.

CYPRIANI dictum accipi cum moderamine debet, ne Episcopatum faciat anarchicum, et hierarchiam Ecclesiasticam evertat. Intelligendus igitur est sanctus Doctor de rebus obscuris ac dubiis; voluitque duntaxat, singulos in Concilio Episcopos, dum controversia examini subest, jus habere liberum ferendi suffragii, nec a Præsidente adigi posse ad suas partes, antequam questio sit finita; vel intelligendus est de occultis animi et secreta cordis intentione, voluitque cujuslibet conscientia a Deo olim iudicandæ relinqui, quo animo quibusque rationibus quilibet ducatur, ad ferendam de rebaptismi questione sententiam.

173. *Observe.* Ut num. 169. ostendimus probabilius, jure divino a PETRO Romanæ sedi relictam suarum prærogativarum hæreditatem; sic multo certius tenemus, eodem jure Primatum potestatis in Ecclesiam Romano Pontifici competere: quandoquidem non ea solum, quæ ibidem protulimus, argumenta id probant; sed et hujus articuli momenta tanto efficacius demonstrant, quanto disertius eorum nonnulla *disponente aut instituyente* Domino rem factam loquuntur. Accedit, quod originum aliarum nulla, ex quibus pro vario studio a variis primatus deducitur, probari possit aut nativa videatur.

Etenim 1º. qui auctoritatem Romano Pontifici provenisse ab Apostolis volunt, siquidem Petrum intelligant, quatenus, ut Nicolaus I. in ep. ad Epp. Gallicanos scribit, *Privilegia sua per Petrum a Christo consecuta est Ecclesia Romana;* nobiscum sentiunt verumque dicunt sed minus accurate loquuntur: si autem Apostolos faciant instituti auctores; testes non habent nisi ANACLETUM ep. 2. et JULIUM ep. 1.; quarum tamen epistolarum auctoritas

apud Criticos nulla est: aut si valeret aliquid, non minus faveret nobis uterque; prior quidem in ep. 3. ita scribens: *Sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut B. Petrus ait: Tu es Petrus etc.* posterior autem hæc addens: *Ecclesia B. Petri nomine consecrata Domino instituyente prima et caput est cæterarum.*

2º. Qui eam a Conciliis deducunt, adversantes sibi habent GELASIVM in Syn. Romana contestantem: *Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Evangelica voce Domini primatum obtinuit;* et NICOLAUM I oc. sup. c. scribentem: *Ecclesiæ Romanæ adeo sunt antiqua et veterata privilegia, ut Nicæna synodus, sicut Bonifacius Præsul Apostolicus Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait, non aliquid super eam ausa sit constituere, cum viderit nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverit Domini sermone concessa:* Suffragatores autem pro se certos ac probantes non habet. JUSTINIANUS enim in Novel. 131. poterat Romanæ Ecclesiæ decernere primum Sacerdotium *secundum saerarum synodorum decreta,* quæ scilicet hanc illi dignitatem non primo contulerint, sed collatam declararint, ut Joannes II. in ep. ad Justin. dicit: *sicut Patrum regulæ et statuta declarant.* Eundem sensum sortitur etiam Synodus 4. sub Symmacho, triplicem primatus originem his verbis referens: *Apostolicæ sedi primo meritum B. Petri, deinde secuta Domini jussionem, Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* ÆNEAS SYLVIVS denique in ep. 301. scribere poterat, *ante Conc. Nicænum quemlibet sibi vixisse et ad Romanam Ecclesiam respexisse parum,* ob commercium scilicet cum illa tot persecutionibus ac hæresibus intercisum: adduci tamen ut adstipulator haud potest; cum in eadem epistola oppositum demonstrare suscipiat, Romanum nempe Primatum a Christo fuisse institutum.

3º. Qui autem IMPERATORES hujus beneficii auctores faciunt, provocantque vel ad Constantinum M. in Can. 14. Dist. 96, vel ad Valentinianum in Novella 3, vel ad Constantinum IV. apud Platinam in vita Benedicti II, vel ad Phocam apud Bedam L. de sex ætatibus; hallucinantur in plerisque. Nam Constantinus M. ibidem testatur, Principem Sacerdotum et Christianæ religionis caput *ab Imperatore cælesti esse constitutum:* Valentinianus *sedis Apostolicæ primatum* dicit esse *B. Petri meritum:* Constantinus IV. de Papæ potestate nihil sanxit, sed de Electione Pontificia jus quæcumque, a Prædecessoribus usurpatum, duntaxat remisit: Phocas demum jus novum non tradidit, sed antiquum contra Episcopi Constantinopolitani superbiam tuitus est et confirmavit; ut vel ex factis dietisque Imperatorum plurium præcedentium et Rom. sedem tanquam Ecclesiarum caput venerantium patet.

4º. Qui denique hanc prærogativam ob Urbis et Imperii nobilitatem volunt Pontifici collatam, habent quidem faventes sibi Chalcedonenses Patres, causæ huic privilegia Romanæ sedis tribuentes, sed eo in canone, nempe 28. qui a Leone constanter reprobatus, ab universa Ecclesia explosus, atque ab ipsis Græcis postmodum e Codice suæ Ecclesiæ erasus fuit. Præterea *privilegiarum* nomine non hic intelligitur dignitas Primatus Apostolici, sed Patriarchalis Eminentia, quam Ecclesiastico jure introductam, et Romanæ sedi ob urbis nobilitatem ac primum Imperii locum superadditam, non inficiamur; prout etiam Patres Conc. Constantinopolitani in Can. 3. insinuarunt, sta-

tuentes, ut *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes* (πρεσβεΐα τῆς τιμῆς) *post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma*: quanquam, cum in Nicæno alius Patriarcharum ordo fuerit decretus, illa et sequenti ætate nullam hujus motivi et canonis rationem habitam fuisse aliunde constet.

174. Superest itaque, ut Primatum Romanum *jure Divino* institutum dicamus. Quod nisi foret, haud facile intelligi posset, cur supremus Pontificatus Romanæ sedi manserit hucusque conjunctus; quantumvis acerrimæ primorum seculorum persecutiones migrationem exposcere, Imperii sub Constantino Byzantium translatio transportationem prædicere, et septuagenaria Pontificum in urbe Avenionensi commoratio commutationem imperare videretur. Ex quo facto etiam patet privilegium, quod Petro fuerat personale, evasisse dein locale; ita tamen ut si Romam perire penitus contingeret, quod a Deo permissum iri non adeo credibile est, qui jure Romanus esset Pontifex et Petri successor, hac prærogativa frueretur.

## ARTICULUS III.

*An Romanus Pontifex sit supra Concilium.*

175. *Nota.* Quæstio hæc, ob cœptum inclinante Seculo 14 schisma Pontificum, sub initium seculi sequentis a Conciliis Pisano, Constantiensi et Basiliensi primum in controversiam adducta, movetur: 1º. de Papa certo, legitimo et fidei; quia si vel dubius foret ob schisma oppositum aut notabilem acceptionis universalis defectum, vel illegitimus ob notum electionis vitium, vel prolapsus in publicam hæresin, Pontifex verus non est, aut (quod in jure æquivalet) non apparet; et hinc qualicumque prærogativa, illi alias competente, caret aut saltem non gaudet: 2º. de Concilio Generali seorsim accepto a Papa, seu cui Pontifex nec per se nec per legatos conjungitur; quia sine hujusmodi acceptione comparatio opposita non tenet, aut totum cum parte tantum confertur, quin causa tandem decidatur: 3º. De superioritate quidem jurisdictionali, non tamen dogmatica; quia quid Concilium sine Pontifice in definitionibus fidei et morum valeat, jam diximus: an vero Pontifex in his sit infallibilis, adhuc examinabimus. Quamvis vero sub auctoritate judiciaria etiam jus appellationum comprehendatur; de hoc tamen speciatim ob causæ singularitatem postea dicturi sumus.

Neque hic attendimus partem magnam negantium, quæ heterodoxorum est; quoniam quo nituntur fundamentum, primatum Ecclesiæ summo Pontifici detrahens, eumque particularis duntaxat Ecclesiæ suæ Episcopum faciens, nuper jam convulsum est: Catholicorum autem negantium ita rationem habebimus, ut duplex eorum momentum præcipuum prævia propositione refutandum suscipiamus. Cum vero præsens sequensque controversia, fide adhuc salva, in utramque partem disputetur; ita ubique versabimur, ut adversæ nobis sententiæ notam nullam impingamus, nisi quantum argumentandi causa apud Theologos licet et consuevit.

176. *Dico. I.* Concilium generale, seorsim a Papa sumptum, non habet potestatem summam, neque judiciariam in summum Pontificem.

*Prob. 1ª. p.* Summa potestas non convenit hujusmodi Concilio: 1º. ratione *auctoritatis Episcopalis*, qua congregati pollent; quia Episcopalis jurisdictio ex collatione est determinata ad certos subditos, ex usu et reservatione est restricta ad fixos limites, ex hierarchica indole est subordinata et dependens a superiore: 2º. nec ratione *collectionis et totalitatis*, qua Concilium hoc aggregatum ac totum est; quia ex hac habitudine ejusmodi cœtui convenit quidem plus extensive et amplius, non autem plus intensive seu majus; ex Dei autem collatione plus aliquid concessum esse non legimus, sed contrarium potius, cum ut obediant et subjaceant pastoribus suis imperatum fidelibus legatur: 3º. nec ratione *representationis*, qua Concilium istud Ecclesiam refert; quia Ecclesia correspondens potestatem summam non habet a se ipsa, ob discrimen inter ipsam a Christo constitutam et Rempublicam ab hominibus libere coeuntibus conditam manifestum; nec a Christo, singularibus duntaxat non autem universitati potestatem elargito. Ergo.

*Conf. I.* Ecclesiæ regimen juxta artic. 1. est perfecte monarchicum: foret autem aristocraticum, si penes Concilium; aut foret democraticum, si penes totam Ecclesiam seu communitatem fidelium esset summa potestas; ut ex notione terminorum liquet. Ergo.

*Conf. II.* Ex dicendis in Tr. de Legibus contra Richerii systema, Christus, nullo hujus Auctoris sensu, prius immediatius atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedit Ecclesiæ: Ergo potestas summa nullo Adversariorum sensu potest esse in Ecclesia, seorsim a capite accepta; Nempe nec 1º *formaliter* et ut in recipiente; quia neque Christus instituens sub initium, neque aliquis a Christo institutus postmodum eandem Ecclesiæ dedit: nec 2º *virtualiter* et ut in regulante; quia regitur, et non regit Ecclesia Dei, ac Corpus a capite, non vicissim, dirigitur: nec 3º *vicarie* et ut in supplente; quia Papa per mortem naturalem aut civilem deficiente, Ecclesia duntaxat personam elegit, Christus autem potestatem tribuit; neque facultatem supplet grex pro pastore et familia pro œconomio, ubi ovium aut servorum dominus curam suæ possessionis tenet. Ergo multo minus Concilium, secluso Pontifice, summam tenet auctoritatem, quam Ecclesia representata non habet; nec personalis dignitas sive Episcopalis sive Metropolitana sive Patriarchalis attingit et explet.

*Prob. 2ª. p. 1º* Pontificem a nemine judicari, docet ex antiquis decretis Nicolaus in ep. ad Michaëlem Imp. scribens: *Prima sedes a nemine judicabitur*; Item: *Neque ab Augusto, neque a Regibus, neque ab omni Clero, neque a populo judicabitur prima sedes.* Syn. sub Adriano II. C. 4. enuntians: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus: de eo vero quemquam judicasse non legimus.* Conc. Lateran. III. Can. 1. in casu delinquentis Pontificis dicit: *Non poterit ad superiorem haberi recursus.* Ivo Carnotensis ep. 233. de Paschali loquens ait: *Admonendus mihi videtur Papa, ut se judicet aut factum suum retractet: quod si fecerit, referamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum Ecclesia, quæ languet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia: si autem in hoc languore insanabiliter ægrötaverit, non est nostrum judicare de summo Pontifice.* Galliæ Episcopi ad causam Leonis III. evocati sic respondent: *Nos sedem Apostolicam judicare non audemus; nam*